DE ARTHRITIDE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. AUGUSTI MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS NAGEL

MARCHUS.

OPPONENTIBUS:

T. PELKMANN, med. et chir. Dr., med. pract.
H. BEHRENS, med. et chir. Dr., med. pract.
G. CORSSEN, philosoph. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRIS

CLARISSIMIS, ERUDITISSIMIS, HUMANISSIMIS

Dr. PELKMANN,

MEDICO PRACTICO,

ET

Dr. SCHULTZ,

MEDICO PRACTICO,

NEC NON

Dr. BEHRENS,

MEDICO PRACTICO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

OFFFRT

AUCTOR.

Morbi statum illum abnormem, quo sanguinis mutatur natura, quem nos dyscrasiam venosam appellamus, Hippocrates jam et Galenus si non ab omni parte, at quodam modo certe habuerunt cognitum. Atque hos quidem scimus statum illum, cujus mentionem fecimus, inde repetisse, quod in ipso sanguine bilis nigra nasceretur.

Posteriore aetate Stahl, Velius, Lorry, imprimis Grant, Kämpf, Marcant, Sydenham, Burserius ac nostra memoria Kreysig et prae ceteris Puchelt, ut melius hac de re judicare possemus, diligenti studio effecerunt. Sed omnes, quos diximus, viri, solo Puchelt excepto, aut ut veteres medici, in bili nigra, aut in sanguinis accumulationibus, stagnationibus, obstructionibus et infarctibus, qui dicuntur, praecipue venae portarum, causas venositatis ad morbum auctae sibi reperisse visi sunt. Unus Puchelt, quippe qui abnornem illam et in majus auctam venosam conditionem sanguinis venarum atque elucentem illam sanguinis venosi naturam vitiosam plus minus ad universum vasorum systema referendam esse intelligeret, primus

rem, de qua hic agitur, in clariore collocavit luce. Atque ejus vestigiis quum Sundelin tum alii institerunt.

Jam si venarum systema praecipue sanguini creando providere, simulque sanguini reservando inservire inter omnes constat, partim singulas quasque anomalas sanguinis conditiones a venarum systemate initium capere et ab eo latius in reliqua vasa propagari, partim superfluam sanguinis copiam, etiamsi ab initio magis per omnia vasa dispersa sit, tamen serius ocius prae ceteris in venarum systemate exstare, clarum et manifestum est. Major autem et superflua sanguinis copia in venarum systemate existat, necesse est, ubi in universum venarum systema plus accipit, quam exire sinit; ergo si aut major chyli copia infunditur, aut si minor pars ab arteriarum systemate ad varias res, quibus sanguis inservit arteriarum, absorbetur. Et scimus quidem sanguinem arteriarum aut propriae substantiali reproductioni et organicae formationi, variis et secretionibus et excretionibus, quae ab arteriarum systemate originem ducunt, inservire, aut emotioni illi vitali sanguinem consumenti, quam arteriarum sanguis, quippe qui universale vitae incitamentum sit, in nervorum systema et universam organisationem exercet. Itaque ubicunque materialis substantiae major minorve copia accipitur, quam ab arteriarum systemate usu consumitur aut sejungitur (sive hoc majore quae infunditur, sive minore quae consumitur copia hoc fit), plethoram venosam existere necesse est. Et haec quidem prima ratio est venositatis in majus auctae. Jam ut ad processum, quo sanguis venosus mutatur in arterialem, regrediamur; commutationem illam secretionibus, quae in pulmonibus,

in jecore et fortasse etiam in membranis mucosis existunt, effici scimus. Substantiae autem, quae tum ex placitis recentiorum chemicorum, tum ex indole et natura, quam ipsis sensibus percipimus, venosi sanguinis hunc venosum efficiunt, partim ex hydrogenio partim ex carboneo constant: quae quidem substantiae etiam a colatoriis venarum systemate affixis secluduntur. Itaque ubi secretiones illae, quas diximus, coërcentur aut minuuntur, universa sanguinis copia venosam prae se ferat indolem necesse est. Et haec quidem altera venositatis in majus auctae ratio est.

Quae quum ita sint, venarum systema nimis impletum et sanguinis indolem eximie venosam, quas quidem causas venositatis vitiose auctae haberi scimus; effectus demum esse colligere licet et sequelas illius status, quo arteriarum substantia quae accipitur non par est ei, quae consumitur atque secretiones et excretiones, quas supra diximus, ex venarum systemate oriri. Procreantur autem illa venositate vitiose adaucta vel singula quaedam abnormia symptomata, vel veri morbi, et hos quidem, quos ultimo posuimus loco, dividere licet in eos, qui ab ipsa natura singula quaeque exaequante producuntur et in eos, in quibus ejusmodi naturae studium aut omnino non adest, aut certe non plane perspicitur. Morbis illis, quorum ope natura ipsa prorsus sanat, vel molestias saltem sublevare studet, adnumerandae sunt febres gastricae, haemorrhoides, arthritis et quodammodo etiam melaena ac lithiasis: quibus ex malis arctissimo inter se cohaerent vinculo haemorrhoides et arthritis, quandoquidem hi morbi, quoniam primus eorum processus unus

idemque est, communi arthritidum nomine tractati sunt.

Venositate illa, cujus mentionem supra fecimus, praesertim ubi hereditaria indole adjuvatur, aut noxiorum quorundam, de quibus postea accuratius exponetur, vi modificatur, efficitur morbus quidam singularis, qui in universum ab ipsius naturae vi originem ducit et inter febricitationes dolorifica inflammationisque simili externarum partium, potissimum artuum affectione ac specificis secretionibus cutis, urinae, aliisque hujusmodi depositionibus membrorum morbo vexatorum efficere studet aequiparationem: quem quidem morbum appellamus arthritidem. Jam quum regularis arthritidis impetus habendus sit pro acme et statu arthritidis omnibus suis numeris absoluto, isto cognito optime nobis apparituram esse totius morbi naturam et indolem, non est quod copiosius exponatur.

Quatuor arthritidis regularis stadia distinguere licet:

1) Stadium, quo venarum portarum systema vexatum est, cujus signa sunt concoctio turbata, molestus sensus in regione epigastrica inter processum ensiformem et umbilicum, quae quidem regio saepissime paullum inflata est et pressione moleste tangitur, nervorum functio turbata, praecipue gangliorum systematis, vertigo, praesertim cum aegri repente e lecto assurgunt. Huc accedit, quod somnolenti aegroti somno non reficiuntur et dedolatio adest maxima. Prae ceteris apparent acidorum affectiones non solum in chylopoëseos organis, unde pyrosis et ructus acidi oriuntur, sed etiam in urina. Urina, quam aegri horis viginti quatuor vel quadraginta octo ante paroxysmum mittunt, reactionem

valde acidam praebet, quum magnam acidi urici copiam contineat.

2) Stadium eruptionis. Semper fere noctu, raro interdiu morbus ingruit: aeger repente sub mediam noctem ex somno suscitatur; dolores eum aggrediuntur, nunc pressionis non ita molestae similes, nunc tam acuti, ut ossa ferro ardenti perforata vel artus cuneo perrupti videantur. Eodem tempore tumescit artus affectus, cutis superjecta rubescit, roseo quodam colore; saepius etiam purpureo fusco-coeruleo. Tactus minimus et pressio levissima summo aegrum afficit dolore; nulla prorsus est motio.

Decursus morbi nisi recedit a norma, solae extremitatum inferiorum articulationes, praecipue primae et secundae pollicis phalanges vexantur; alioquin etiam articulationes ossis metatarsi, hallucis et astragali. Quod attinet universae organisationis symptomata, arthritis solet non sine febri accedere, cujus indoles diversa est pro singulari aegroti natura, aetate, majore minoreve vi eliminationis. Plerumque febris est synocha, aut certe quam proxime ad eam accedit; tum pulsus est durus, plenus, frequens; cutis temperatura adaucta, albida lingua, urina purpurea et sitis maxima. Raro febris inclinat ad torporem; febris typus est remittens, nonnunquam remittentis similis, quatenus remissionis tempore (horis matutinis) crises apparent, dum cutis acida calens et urina purpurea turbida fit, vel etiam sedimenta facit. Evanescunt his crisibus symptomata febrilia prorsus horis matutinis; quod ubi fit, typus intermittens aperte perspici potest. Eruptio fit subita et plerumque jam horarum duodecim vigintive quatuor spatio finita est.

3) Stadium efflorescentiae.

Ubi normalis est morbi decursus, hoc stadium quatuordecim dierum est: per quod tempus articulationum tumoris et ambitus manet et magnitudo; cutis porro color eodem quo antea modo mutatus est, artus quidem magno afficitur dolore, sed mobilitate non caret. Febris residet temperata et die decimo quarto plane evanescit, quum remissiones magis perspicuae in dies et exacerbationes debiliores fiant, et integra postremo intermissio intercedat, quae majus in dies temporis spatium sibi assumit, donec paroxysmi omnino desierint.

4) Stadium desquamationis.

Hoc in stadio topica affectio prorsus mutatur hac ratione, ut dolores deficiant, dum aegris sensus quidam torporis, saepe etiam frigoris in membro vexato remanet nec redit mobilitas. Cutis rubor, qui ultimo jam tertii stadii tempore palluerat, nunc prorsus evanuit; aeger vehementi membri affecti pruritu laborat, cutisque furfurum modo desquamatur. Jam nunc bona valetudo redit, qua aeger se tanquam recens natum sentit eodemque est robore quo ante morbum gaudebat.

Gastrica symptomata disparuerunt, appetitus est egregius, somnus quietus, tristis animi affectus laeto cedit, donec tempore majore minoreve praeterlapso (hoc enim ex potentiis plus minus noxiis, quae vim suam exercent, pendet) eadem symptomatum series de integro redit, eodemque utitur decursu. Quamquam arthritis vulgo praesertim primo impetu pedes petit (quod quidem morbi genus podagram appellamus) tamen etiam alias invadit partes, nempe genua (gonagra), manus (chiragra), artus cubiti (pechyagra) humeros (omagra),

femora (ischiagra), dorsum (rharhiagra), dentes (odontagra), caput (cephalagra). Ubi per totum magis corpus hic morbus dissipatur, arthritis appellatur universalis.

Non semper tamen arthritis ea apparet forma, qua eam conspici docüimus, sed saepe specie induta est, quae magis minusve ab illa discrepat. Quod si fit, arthritis vocatur irregularis. Quae venarum portarum systemati propria sunt symptomata, ea saepius per temporis spatium vel brevius vel longius (quin etiam per menses et annos) evanescunt stadio sequenti nondum absoluto (arthritis imperfecta); sed, postquam illa redierunt, aut regularis paroxysmus existit, aut in vicem ejus aliorum symptomatum series succedit. Nec tamen semper arthritis acuto utitur initio. Apud homines debiliores et maxime apud feminas morbus semper sine febri ingreditur cum sensibilitate quadam cutis, cum doloribus tanquam tractu vel pressione effectis, quoad etiam alicubi in articulationibus tumores inveniuntur, qui oedematosi et quam maxime molesti sudore quidem et urinae crisibus expelluntur, sed magno indigent tempore ad sanationem, quae hoc in morbi decursu magis imperfecta nec tam absoluta est, quam ubi initium arthritidis acutum erat. Systema membranarum mucosarum, si haec arthritidis forma existit, parum afficitur. Alia etiam exstat arthritidis species, quae ab initio plane non sentitur et saepissime apud mulieres invenitur. Conqueruntur de doloribus, quos nescias utrum rheumaticos an arthriticos existimes, dum tandem articulationum deformitates apparent. Et haec quidem species maximas efficit deformitates, quum ad materiam

pathicam expellendam non solum articulatio, sed ipsum etiam os tanquam depositionis instrumentum adhibeatur. Excepta sunt ossa tubulosa atque sola plana et polyedia ab arthritide occupantur. Ita apud veteres homines arthritidis eruptione in ossibus columnae vertebralis exostoses exoriuntur, et maxime quidem his in locis, ubi nervi proveniunt spinales. Inter symptomata, quae arthritidis eruptionem antecedunt, dolor est acutus et premens in loco columnae vertebralis, qui quidem dolor ubi aeger movetur, vel pars vexata premitur et noctu potissimum augeri solet. Plerumque autem dolores adeo fere nulli sunt, ut prorsus non animadvertantur et dum demum ab aegroto percipiantur, quando pressum illum, quo exostoses nervos spinales afficiunt, paralytica subsequuntur symptomata. Ab initio paralysis hemiplegica est, dum pes alter gravescit; postea paralysis alterum etiam pedem occupat et ad pelvis denique organa transit.

Omnium fere gravissima species est cephalagra, ubi ossa capitis plana cum diploë sua ab arthritide invaduntur et exostoses gignunt.

Quam pessima existunt symptomata, si exostosis intus se vertit. Quod ubi accedit, praeter dolores vehementissimos et rapidissimos et quasi perforantes irritationis cerebri ac postea etiam pressionis cerebri symptomata prodeunt. Sin exostosis extrorsum se vertit ad galeam aponeuroticam, locus, qui dolore afficitur, capitis capillis dentosis, paullisper tumidus et oedematosus apparet, calorem quendam indicat et si premitur, afficitur dolore. Praeter ossa praesertim vasorum systema arthriticae materiae depositioni inservit. Quodsi pars centralis, cor, afficitur, morbus inflammatio arthritica tunicae

intimae cutis appellatur, nec nisi in parte sinistra invenitur, quae quidem inflammatio ita finitur, ut arthritica salia in valvularum apparatibus deponantur, aut in arteriis coronariis. Tum vel stenocordiae vel anginae pectoris symptomata oriuntur. Ubi peripherica vasorum systematis pars aditur, prae reliquis extremitatum inferiorum arteriae afficiuntur: quae quidem arteriae quum ossificantur, primum extremitatum inferiorum temperatura minuitur, deinde nutritio turbatur, temporis denique decursu gangraena pollicum existit. Neque interdum membranarum mucosarum systema arthritidis anomalae causa secretionem spernit pathicae materiae.

Ita apud homines videmus, qui antea venarum portarum affectione laborabant et vestigiis vexabantur, depositiones in articulationibus deficere et in illarum vicem diarrhoeam succedere, quam urens quidam dolor circa umbilicum comitatur. Excretiones non ita frequentes sunt et viscido muco consistunt, qui corrosiva est natura. Accedunt lingua obtecta, gustus acidus, in urina sedimenta, quae sunt peculiaria arthritidis, et febricitationes leves sub vesperam. Ac diarrhoeae quidem, quae noctu potissimum crebrae sunt, saepe tantae evadunt, ut abdomen, si premitur, dolore laboret et tumescat, inter mucum porro sanguis emittatur. Altera deinde affectio blennorrhoea est organorum respirationis. Hoc in casu larynx et raro bronchi sedes sunt morbi, qui dolore urente cum perpetuo titillationis sensu et tussicula conjuncto indicatur. Simul viscidus mucus salsi vel acidi gustus secernitur, vox paullisper alienata est et in urina arthritica reperiuntur sedimenta. Ipsa etiam membrana mucosa vesicae valde arthritidis impetui ex-

posita est. Saepissime apud eos, qui morbo illo laborant, catarrhi existunt vesicae, qui plerumque diuturni, interdum etiam omnino non sanabiles sunt. Neque huic affectioni profluvium ex urethra et ex vagina apud mulieres deest.

Stomachi quidem membrana mucosa, etiamsi paroxysmus non a norma recedat, morbo occupatur. Sed longe vehementiori vi ea est affectio, quae artuum doloribus caret: quod si evenit, omnes nonnunquam stomachi inflammationis casus inveniuntur. Praeterea inter mala, quibus arthritici laborare solent, numerare solemus ophthalmiam arthriticam et catarrhum arthriticum, qui quidem plerumque siccus est et ab syphilitico eo potissimum distat, quod hic neque cum tumore septi palatique conjunctus est neque abit in cariem. Nec minus a reliquis catarrhi generibus catarrhum arthriticum symptomatum vi et gravitate distinguere licet.

Saepissime etiam herpes siccus furfuraceus apud eos, qui ex arthritide laborant, reperitur, ita ut non possimus eum ipsius arthritidis symptomatibus non accensere; itemque pruritus quidam molestissimus et ipsam cutem morbi participem esse nos edocet. Denique magnum quod frigore afferri solet detrimentum et nimis aucta sensibilitas cutem arthritide mutari nobis demonstrat. Inter organa parenchymatosa duo sunt nominanda (renes scilicet et prostata), quae haud raro arthriticae inflammationis sedem esse constat, qua in inflammatione fit, ut calculi renales et prostatici formentur, acidum uricum continentes.

Ad divisionem quod attinet, distinguere solent arthritidem acutam et chronicam, arthritidem hereditariam et

acquisitam, arthritidem fixam et vagam, arthritidem febrilem seu pyreticam et afebrilem sive apyreticam, arthritidem internam et externam: quae quidem varia genera quomodo inter se differant, ex ipsa verborum significatione jam apparet.

Sed quum nullius fere momenti sit ista distinctio, satis erit hic discernere arthritidem regularem, de qua supra jam accuratius exposuimus, et arthritidem irregularem seu anomalam, quo quidem nomine hanc speciem appellamus, quae ab illa et tempore, quo intrat, valde discrepat.

Et species quidem arthritidis anomalae praecipue sunt a) arthritis larvata, quae omnes complectitur morbos, qui causis externis arthritidem regularem praeparantibus efficiuntur, quamquam arthritis vera articulationum i. e. tumor inflammatorius non apparet; b) arthritis retrograda, quae ejusmodi, ut articulationum tumores inflammatorii quidem prodeant veramque arthritidem hic subesse indicent, sed ut affectio articulationibus vel aliqua ex parte vel omnino relictis ad alias et potissimum quidem ad partes internas recesserit.

DIAGNOSIS.

Normales quidem species facillime licet dignoscere, sed longe difficilior diagnosis videtur anomalarum. Et ab erysipelate quidem arthritis distat peculiari ac propria articulationum affectione, temporis deinde spatio (nam erysipelas quatuor, arthritis quatuordecim dierum est), secretionum denique perquam diversis symptomatibus, praecipue in urina conspicuis, quippe quae reactionem hic alcalicam, ibi acidam testentur. Cum rheu-

matismo porro vix poteris confundere arthritidem, ubi arthritidem venarum portarum affectionis stadium, quod rheumatismo deest, antecedere tecum reputaveris.

Arthritidem enim praecedunt edacitas vel anorexia, animae foetor, nausea, dyspepsia, flatus, obstructio alvi, ventriculi sensibilitas, sensus ponderis in artubus etc., dum rheumatismus subito doloribus sese manifestat vehementissimis.

Arthritide si quis laborat, febrilia signa antecedunt dolores; apud eos, qui rheumatismo vexantur, contrarium invenitur.

Arthritide dum homines aetate provectiores afficiuntur, rheumatismus omni tempore vim suam exercet. Arthritis hereditaria est et quum epulis nimis lautis et comissationibus, tum venere nimia, nocturno labore et nimiis lucubrationibus adsciscitur: quibus omnibus rebus nunquam potest gigni rheumatismus. Si porro symptomata cutis, eruptionis in ea rationem et decursum, desquamationis stadium atque chemicas mutationes in secretionum materiis, imprimis in urina accuratius consideraveris, haud dubitabis, quin arthritidem a rheumatismo possis facillime dignoscere. Scudamore »haec, inquit, arthritidis sunt signa: Seri exsudatio in telam »cellulosam, turgescentia venarum vicinarum, dolores »vehementissimi, qui sensum caloris et pulsationis secum »ferunt, adaucta partium affectarum sensibilitas, quae »tactu praesertim augetur, gravitas earum, torpor, motus »impeditus. Praeterea tumorem et ruborem partium ar»thritide affectarum semper demum insultum sequi, bene »est notandum, cum in rheumatismo haec signa statim »ab initio observantur. Magnum praeterea urina prae-

»bet criterium; nam in arthritide tempore paroxysmi »valde parca secernitur et postea sedimentum format lateritium.« Nihilominus accidere potest, ut etiam, ubi normalis exstat arthritis, haud facile possit institui certa diagnosis et longior morbi exspectandus sit decursus.

DECURSUS.

Totius morbi decursus est chronicus, singulorum paroxysmorum decursus valde diversus.

Nam nonnullae species non solum valde acutas se praebent, sed etiam veri morbi ephemeri videntur: exempli gratia arthritis, quae in articulationibus sedem habet. Hujus enim paroxysmus saepe per duodecim vigintive quatuor remanet horas.

Podagra normalis plerumque est subacuta, dum decursu suo quatuordecim dierum spatio defungitur; aliae species sunt chronicae et per menses, quin etiam per annos resident: exempli causa oedematosa articulationum arthritis. Apud eosdem homines saepe videmus chronicas species in acutas et acutas vice versa in chronicas mutari.

EXITUS.

In bonam valetudinem universus morbus sine crisibus se vertit vel certe sine perspicuis crisibus, quum inter singulos paroxysmos majora intervalla intercedant et intensitas diminuatur. At cavendum est, ne cum sanationis exitu confundas morbi secessionem debilitate adductam in aetate decrepita. Discriminis quid intercedat, non difficile judicatu. Nam ubi morbo debilitate finis imponitur, symptomata universalis (ut ita dicam)

caducitatis defectusque omnium functionum vitalium nunquam desunt, et in vicem paroxysmi cessantis podagrici alia succedunt morbi symptomata, causarum nexu cum illo conjuncta: veluti affectio centralium partium systematis nervosi sive hydrops. Singuli normalis podagrae paroxysmi perspicuis crisibus decernuntur, in urina sedimentis lateritiis peculiaribus, saepe roseis, ex acido urico consistentibus, et magnis sudoribus in cute, qui proprio quodam et gravi odore sunt atque etiam acidum uricum liberum continent. Interdum acidi urici secretio tantopere vehemens est, ut sudore illo remoto cutis testa trita obtecta videatur.

Nonnunquam, ubi sudoris crisis colliquativam prae se fert speciem, miliaria alba in cute apparet. Non semper arthritidis impetus praetereunt nullis perturbationum vestigiis relictis. Interdum quidem praeter tumorem quendam haud magnum oedematosum partium morbo occupatarum, et praeter detrimentum, quod corporis mobilitati et agilitati affertur, nullam omnino vim exercere videntur. Sed et corporis conditio ab aura ac tempestatis commutationibus minus tuta, et dolores celeriter praetereuntes, pungentes, rapidi, valetudinem commutatam nondum in integrum restitutam esse testantur. Interdum autem post primum statim impetum, aliquando etiam post plures demum impetus magnus restat molestiarum numerus. Nam in articulationibus, in pericranio, in columna vertebrali arthritici tophi oriuntur, parvuli tumores, qui sensim sensimque duriores redduntur et terrenas continent materias, similes substantias secernente sudore et urina; cartilagines ossificantur, ossium apophyses tumescunt, deformantur, concrescunt

atque deformitates effingunt et ankyloses quam maxime miras. Manus potissimum et genuum artus saepe arthritide ankylosibus coortis deformantur. Saepe aegri doloribus vexantur, nullis quidem tumoribus apparentibus, in dentibus, in dorso, in vertebris colli, in capite, in faciei ossibus, oculis, brachiis, manibus, pedibus.

Depositiones, quae sub finem uniuscujusque paroxysmi fiunt, non resolvuntur, ut falso contenditur, sed sensim sensimque durae evadunt. Tophi arthritici non materia, quam continent, sed mechanice tantum sede et forma, ut corpora aliena imitantes, plerumque sunt causae doloris continui, et imitatione arthritidem chronicam reddunt fixam. Hi tophi magnitudinem ciceris, interdum etiam ovi assequuntur; sacco non sunt inclusi, sed cellis telae cellulosae et ipsis cavis articulationum. Nonnunquam ad superficiem procedunt et rejiciuntur, haud raro vero depositio horum concrementorum ea est, ut tumor ingentem adipiscatur magnitudinem; in ambitu ejus taenia rubra et lata, quae in gangraenam transire videtur, apparet, dum dolores aegrotum vexant acerrimi. Postremo cutis rumpitur et fluidum serosum effunditur, concrementis in profundo remanentibus, tam ulcus impurum et dolens, quod arthriticum vocatur, oritur, cum fundo lato phagedaenico, marginibus callosis; singulae concrementorum partes post curationem diuturnam ejiciuntur. Quodsi columna vertebralis sedes est affectionis arthriticae, concretionum arthriticarum pressione in nervos spinales paralysis evadit. Ubi capitis ossa affecta erant, praesertim intima lamella affectionis sede, epilepsia vel apoplexia nascitur. Sin cor affectum erat, pathic ematería in valvularum apparatu deposita, steno-

cordia, coronariis arteriis ossificatis, angina pectoris existit.

Si cerebri arteriae depositionis locum praebebant, encephalomalacia gignitur, praesertim si infimae arteriae, quae circulum arteriosum Willisii constituunt, correptae erant. Ossificationes arteriarum extremitatum inferiorum gangraenam producunt senilem. Sin arthritis oculos aggreditur, cataracta, glaucoma, amaurosis et pupillae stenosis vel atresia oriri possunt. Nec rarius palpebrae morbo corripiuntur, nempe glandulae Meibomii tumescunt; lippitudines arthriticae decursum habent lentum, amaurosis vero et glaucoma celerrime exoriuntur. Serosae membranae difficilius arthritide a functione sua impediuntur, attamen, si arthritis atonica longius per tempus perstitit, hydrops existit unius trium cavorum primariorum, mortem secum ducens. Praeterea etiam saepe lethalis exitus paratur apoplexia nervosa; maxime systema gangliorum saepissime paralysi corripitur. Neque alia mortis ratio praetereunda est, quae inde, quod frigus pernicioso modo ad minuendos dolores gravissimos adhibitum est, videtur repetenda. Ita enim fit, ut podagra oppressa partes internae afficiantur et inflammatio, quae in gangraenam exit, oboriatur.

AETIOLOGIA.

Inter causas disponentes primum distinguendae sunt eae, de quibus nondum satis convenit. Huc referenda:

1) Aetas. Nam etiamsi arthritidi provectiores potissimum aetate expositos esse nemo neget; tamen multi eos solos isto morbo corripi non solum inficiantur, ve-

rum etiam exempla afferunt, quibus etiam juniores corripi probent.

Sane arthritidem involutionis aetatis morbum appellari liceat, quamquam temporis hujus momentum alios citius, alios serius aggreditur.

2) Hereditas. Nullum ejus exstat argumentum; nam quum ante annum quadragesimum nemo arthritide corripiatur, illorum autem numerus, qui a parentibus plus quam quadraginta annos natis geniti sunt, parvus videatur pro eorum numero, qui ab hominibus minoris aetatis procreati sunt, valde minui apparet numerum hominum arthritidi obnoxiorum, siquidem soli illi, qui ipsi ea vexantur, morbum tradunt hereditatem.

3) Sexus. Majorem virorum quam mulierum numerum arthritide febrili affici verum quidem est, sed neque mulieres desunt, quae specie febrili vexentur, neque viri specie atonica laborantes.

Certae contra causae disponentes sunt hae:

1) Nimis lautae epulae et comisationes. Huc referendi sunt, qui quotidie bene vesci et laute bibere consuerunt, nec vero ii qui saepe ebrietate arripi se patiuntur, quippe qui longe aliis morbis se obnoxios reddant.

2) Animi pathemata, animi depressiones, curae, nimiae animi intentiones in vita, si non splendida, certe haud ita vili, antecedente digestione valida. Idem efficitur crebra quietis et laboris mutatione.

3) Vita sedentaria cum victu lauto conjuncta. Otium amoenum quam plurimum nocet. Quos arthritis corripit, robusti semper sunt homines.

4) Rheumatismi diuturni antea progressi.

Saepius quidem nimia venere dispositionem arthritidis augeri contenderunt, sed exempla non desunt hominum castorum, quos nihilo minus arthritis aggressa est et vice versa. Validiores quum viri veneri studere soleant magis quam debiliores, arthritis facilius illos aggredi quidem poterit, nec tamen arthritidem ea augeri existimandum est. Inter nutrimenta, quae arthritidem provocent, prae ceteris numerari solet vinum. Sed in regionibus illis, ubi seri vites solent et a pueris homines vinum a natura datum bibere consuerunt, rarius arthritis invenitur, dum in terris septentrionalibus eos semper aggreditur potatores, qui vina bibunt, quorum neque vetustas neque patria cognita est. Vinum bonum et interruptum hominum valetudini nunquam nocebit. Quin etiam nimia ejus copia hausta potatores postridie neque capite dolent neque digestione carent bona. Longe aliam vim in homines exercet vinum, quod vulgo emendatum dicunt, revera dolosis fraudibus depravatum esse scimus, nam et modice haustum, ut capite doleamus, efficit et digestionem longius in tempus perturbat. Quodsi talibus vinis digestio saepius labefactatur, arthritis magis minusve provocetur necesse est, ita ut non sine causa vinariorum hominum fraudes inter causas arthritidis, quas disponentes vocant, numerare liceat. Aliae quidem res, quae digestionem turbant, eadem vi qua vinum depravatum esse possunt; at non in ipsis cibis, sed ex indigestione frequenti arthritidis productio repetenda est. Et arthritidem patiuntur Turcae nobiles, quos constat vinum nunquam bibere. Quae descripta momenta complexi invenimus, et sanguinem ma-

xime animalisatis materiis impleri, et quod nervorum systema automaticum aut directa aut indirecta via debilitatur, secretiones atque excretiones sanguinis necessarias impediri ac majorem venositatem, quod jam in prooemio explicavimus, effici. Quum autem vena systema venarum portarum repraesentet, caussa arthritidis in venae portarum affectione investigare debemus, quoniam et symptomata, quae prodromi arthritidis sunt, signa affectionis venae portarum exstant, et culter anatomicus arthritide mortuorum hominum commutatos parietes et colorem et contentum venae portarum, venae hepaticae et venae cavae inferioris ab fossa hepatis usque ad cor demonstravit. Morbus arthriticus in venae portarum sanguine productum pathicum gignit, id est acidum azoticum; quod non solum in partibus venae portarum adnexis apparet, et in stomacho, verum etiam secundarie in secretionum productis variorum secretionis organorum, ut in urina, in cutis secreto atque in membranis synovialibus. Verumtamen acida exstant raro sola, sed connexa cum kali. Si formatio materiae pathicae in portarum vena ad maximum locum pervenit, corpori aliena eliminatur per systema arteriosum. Cujus processus systema gangliorum particeps est; nam paroxysmis arthriticis turbationes somni, plexus coeliaci et meseraici superioris, memorabiles alienationes animi praesunt; periodi etiam formationum particeps esse gangliorum systema demonstrant.

Occasionales causae sunt vulgo peccata diaetae, saepe perturbationes animi, affectus fortes et mechanicae laesiones.

PROGNOSIS.

In universum est mala. Nam licet arthritis normalis mortem non saepe adducat, tamen maximos parit dolores et plerumque insanabilis est. Prognosis itaque eo pejor existit quo magis vires aegrotos deficiunt, quo crebriores morbus paroxysmos facit, vel quo magis jam chronicam indolem adeptus est. Arthritis organa interna si aggressa est, pendet ex eorum dignitate sanatio, nunquam autem prognosis est bona. Maxime spectari debent in prognosi statuenda:

1) aegri hominis aetas; quo minor, eo res melior. 2) Constitutio corporis; quo fortior, eo praesagium laetius. 3) Forma acuta et regularis prognosin concedit optimam. 4) Tempus atque numerus paroxysmorum; arthritis inveterata augurium largitur pessimum. 5) Paroxysmorum fortitudo; quo fortiores, tanto citius praeterlabuntur et eo magis egregias intermissiones relinquunt. 6) Causa occasionalis; quam removere si non possumus, nunquam arthritidem sanabimus.

CURATIO.

Expletio indicationis ex causis est in arthritide sananda momenti majoris, quod remedia splendido carent successu. Ubi ut tota in medendi ratione inprimis duplex status morbi spectandus est: serosa inflammatio articulorum et turbatio reproductionis. Primas ob affectiones omnia vitanda sunt, quae articulationibus inflammatis nocere possint, praecipue refrigerium; quod ad ultimum spectat, peccata diaetae evitanda sunt et illud regimen sequendum, quod cum curatione radicali congruit et infra amplius explicabitur.

Indicatio ex morbi natura duplex est: 1) inflammationis articulationum febris atque omnino totius paroxysmi moderatio et 2) reproductionis vitii correctio, quam secundam indicationem ex parte jam paroxysmi tempore, praesertim inter paroxysmos sequi debemus. Curatio paroxysmorum podagrae regularis pendet e natura reactionis et topicae et universalis. Sin erethismus praevalet, methodus exspectativa adhibenda. Aegrotus in lecto maneat, pars affecta calefiat et lana, lino et ceteris obtegatur, quae passim commutentur masticeque perfumentur. Praeterea diaeta parca jubetur, tantum vegetabilis cibus, simplex, tepida acidula aqua, nunquam autem potus frigidi. In natura synochali petas per methodum antiphlogisticam et sedativam actionem diminuere. Antiphlogosis tantummodo adhiberi debet in humore magno, fortibus doloribus et rubore multo. Apponantur 6 — 10 hirudines, quod saepe interpositis 2 — 3 diebus repetendum. De remediis sedativis fomenta narcotica evitanda sunt, quod nervorum actionem diminuunt et arthritidis repressus efficiunt. Satis igitur fomenta emollientia, decocta seminum lini cum papaveris capitibus. In exsequenda antiphlogosi universali cautus sit medicus neque per vim paroxysmorum vespertinorum adducatur ad venaesectionem, quod media nocte hi paroxysmi saepius evanescunt et crises egregiae existunt; sin sole oriente remissionis tempore pulsus durissimus, plenus est et intensus atque urina ardenter rubra, vena secari potest. Cum antiphlogosi diaeta vegetabilis ordinetur, aqua tartari, serum lactis tartarisatum et salia neutra ad alvum aperiendam. In natura torpida arthritidis paroxysmus provocandus

est, quoniam eruptio caveri nequit. Itaque remedia adhibenda, quae systema vasorum irritant, conjuncta quidem cum iis, quae in nervorum systema sollicitatum agunt. Bradieri remedium summa floret fama. In totam arthritide affectam partem cataplasma seminum lini digitum crassum satis fervidum ponatur, unc. jj illius tincturae infusis. Cataplasma deinde lana praeparata circumvolvatur, satis communiatur et 12 -- 24 horis interpositis commutetur. Quod ab illis arthritidis formis, ubi inflammatio permagna est, non toleratur, valde utile autem est in magno tumore, exigue rubro, magis oedematoso, ubi febris indoles torpida. Febris magnam debilitatem quando movet, in pulsu exiguo, viribus maxime diminutis, cataplasmata, quae supra descripsimus, cum remediis irritantibus conjungenda sunt, ut paroxysmi in peripheria figantur. Quamobrem praebeatur camphora dosibus minoribus, sal ammonii, sulphuris praeparata atque magis nutriens, immo paullum irritans victus. Crises si intrant, ducendae sunt eo, ne secretiones nimiae existant; cataplasmatibus saepius repetitis, si magna articulationum irritabilitas relinquitur, fomenta prosunt et tutela aurae. Ubi autem immobilitas quaedam ac sensus inopia in articulutionibus conspicitur, caute lotiones spirituosae adhibeantur.

Arthritis retrograda paullatim adaucta, permanente irritatione, in partem prius affectam reducenda est, quod efficiunt frictiones cum lana, cum linimento volatili, cum petroleo adipeque quodam, tincturis irritantibus, atque balnea irritantia cum cali caustico saponeque. In arthritide anomala remedia irritantia et interna et externa necessaria sunt, artus affectus involvatur et interna den-

tur antarthritica praecipue tinctura Guajac. ammoniata vel tinctura antarthritica Elleri; febri adeunte solutum porrigendum est Guajacum, in gastrico statu emeticum praemittendum. In columnae vertebralis affectione arthritica antiphlogosis topica, infrictiones hydrargyri et cataplasmata emollientia indicata sunt; paralyseos symptomata si serius intrant, incitamenta adhibeas.

In cephalagra si tophi nondum orti sunt, caput caute circumvolvendum est, fomentationes instituendae sunt et methodus derivatoria advocanda. Tophis et symptomatibus depressionis cerebri coortis, tantum juvant problematica inunctio famesque. Tophi quando externae lamellae ossis insident, cutis capitis et galea aponeurotica in formam crucis discindi possunt et fomentationes adhiberi. Arthritis cordis nisi initio sanari nequit; depositione jam facta, palliativum auxilium locum habere tantum potest. Necessariae sunt antiphlogoses topicae et irritationes cutis in regione cordis per ammonium causticum cum adipe vel tincturam cantharidum, in chronica inflammatione per moxam. Simul dentur diuretica et diaphoretica, digitalis, salia media et ammonii praeparata.

Diarrhoea arthritica postulat mucilagines, emulsiones cum calinis (magnesia liq. kali subcarbon., immo ammon. caustic.) et cum narcoticis, quae in ganglia agunt (Cicuta, Hyoscyamus, Extractum Belladonn. vel Nucis vomicae parvis dosibus). Opium nil proficit. Effectum horum remediorum adjuvamus balneis irritantibus. In affectione arthritica membranae respirationis dantur initio narcotica (Cicuta cum Sulphuris praeparatis); praeterea aquae sulphuratae naturales et bal-

nea sulphurica ordinari possunt. Simul cutis incitamenta adhibenda, vesicatoria, infrictones unguenti Autenriethii, et apud homines aetatis provectioris diaphoretica cum diureticis, sulphur cum Terebinthina, Squilla etc. Praecipue laudantur inhalationes vaporum calidorum. Arthritica in blennorrhoea organorum uropoëticorum emollientia balnea externe, internum in usum narcotica juncta cum Salinis, ut magnesia, simulque mucilaginosa remedia admovenda sunt. Ad acidum arthriticum removendum dentur quoque fontes minerales, qui Natrum carbonicum continent, uti Selteranus, Kissingensis. Inflammationes arthriticae diffluunt celeriter, postulantque antiphlogosin maxima extensione adjunctis salinis et narcoticis. In metaschematismo adhibenda est quoque methodus antagonistica. Tophi, ancyloses arthriticae, tumor albus et aliae periostei ossiumque affectiones, prout vitalitatis indoles postulat, secundum Chirurgiae praecepta curanda sunt.

Morbus totalis sanatur indicationibus his explendis: 1) Morbi materia est neutralisanda. 2) Eadem simulatque colligitur, secernenda est, ut paroxysmorum eruptio impediatur. 3) Quo minus nova morbi producta fiant, prohibendum est. Indicatio prima expletur porrectis calinis, praecipue Natro subcarbonico; systema ossium si affectum est, dentur conchae praeparatae. Ob indicationem secundam remedia impendenda sunt, quae secretionem adaugent; praecipue conducunt diuretica, quae quidem sola adhiberi non debent, sed alternatim alia organa ad secernendum impellanda sunt. Ne novum morbi productum fiat, diaeta apta sit atque regimen cautum aeger debet vesci cibis concoctu facilibus, non

irritantibus et simplicibus. Condimenta et multum amylum continentes cibi, adeps nocent. Prosunt caro alba vegetabiliaque, quae secretiones urinae impellunt. Omnes autem acidi irritantesque potus vitandi: aqua optima est atque cerevisia levis, parum luputi continens; sin vino aeger abstinere non potest, dulce minus officit. Quod ad temperaturam attinet, aeger a frigore et imprimis commutatione temperaturae cavere debet. Lanea vestimenta ad nudum corpus perbona sunt, non solum quod optime tuentur, verum etiam cutem irritant mediocriter. Praeterea ob digestionem amara tonicaque administranda sunt, sed tantum duabus primis indicationibus expletis. Primum sumas extractum graminis taraxaci, ex quo ad calamum, absinthium transeas. Ex specificis nominanda sunt: aqua calida auctore C a d e t d e V a u x, oleum jecoris aselli, Rhododendrum, Aconitum, Guajacum, Antimonialia, Sulphur, Colchicum, radix Bryoniae, rad. Rhei, oleum animale Dippelii, Phosphorus, Hydrargyri praeparata, balnea varii generis. Balneorum naturalium commendari possunt thermae Carolinae, aquae Matiacae, Kissingenses.

Arthritide complicata cum scrophulosi, balnea et salina et marina bona sunt. Decrepiti podagristae vetusti uti possunt balneis Pyrmontii, Dryburgi, Bruckenaviae, imprimis Gastenii.

VITA.

Hermannus Ferdinandus Nagel Pritzwalcensis. Natus sum anno MDCCCXX. die XXVIII. mensis Maji, patre Carolo, quem jam dudum mihi ereptum lugeo, matre Henrietta egente Voigtiana. Primis litterarum elementis imbutus per septem annos Gymnasia Stendaliense, Joachimicum Berolinense et Neo-Ruppinense frequentavi. Anno MDCCCXL. matnritatis testimonio instructus in almae academiae Fridericae Guilelmae cives receptus et in album facultatis medicae inscriptus sum. Per tria semestria hisce interfui lectionibus ill. Frendelenburg de logica, ill. Kunth de botanice, cl. Magnus de physice, ill. Mitscherlich de chemia, ill. Schlemm de osteologia, ill. Müller de anatomia, qui quoque cum ill. Schlemm in arte cadavera rite secandi me erudivit, ill. Lichtenstein de zoologia, ill. Weiss de mineralogia.

Tum anno MDCCCXLII tempore paschali Herbipolin petii, ubi per annum Ill. Müntz de anatomia et cel. Mohr de pathologia ac therapia speciali disserentem audivi. Anno exacto Halas me contuli, ubi per semestre acroasi cel. Cramer de materia medica et scholis clinicis medicis et chirurgicis Ill. Krukenberg et Blasius interfui. Denique Berolinum redux per annum frequentavi scholas clinicas medicas, chirurgicas, ophthalmiatricas, obstetricias Ill. Schoenlein, Wolff, Trüstedt, Jüngken, Romberg, Busch; praeterea me docuit anatomiam pathologicam Ill. Müller. Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, hoc loco ago atque semper habebo gratias maximas. Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite superatis, fore spero, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1) Mortem accelerare medico non licet.
2) Syphilis jam in antiquitate viguit.
3) Menstruatio non haemorrhagia sed secretio.
4) Phthisis pulmonum tuberculosa non est contagiosa.
5) Frigus febrile affectionem indicat medullae spinalis.
6) Dementiam ex morbis corporis plerumque esse deducendam.